

1  
1  
2  
1  
2  
3  
1  
2  
3





F. 4. num. 27.

DISSERTATIO JURIDICA <sup>22</sup>  
DE

IN- ET SUBINFEU-  
DATIONE DOMANIO-  
RUM PRINCIPUM GERMA-  
NIÆ LICITA VEL ILLICITA,

QUAM,

PRÆSIDE D. O. M.

INAUGURALIS SPECIMINIS  
NOMINE,

QUOD PRO LOCO VOCANT,

MAGNIFICI RECTORIS,  
UT ET RELIQUORUM

ACADEMIÆ PROCERUM  
CELEBERRIMORUM ET EX-  
CELLENTISSIMORUM

CENSURÆ SUBJICIT

CORNELIUS VANDEN VELDE,

J. U. D. & INST. IMPER. PROF.


RESPONDENTE

AD DIEM XXIII. DECEMBRIS ANNI MDCCVI.

IN AUDITORIO JCTORUM AD LANUM

JOHANNÉ HERMANNŌ *Göhler*  
MARBURGENSEI HASSO.

Typis Hæred. JOH. JODOCI *Kunze* Academ. Typogr.



*R. d. Mann*

P. 332.





Serenissimo & Potentissimo  
PRINCIPI ac DOMINO,  
DOMINO

CAROLO,  
HASSIÆ LANDGRAVIO,  
PRINCIPI HERSFELDIAE, COMI-  
TI CATTIMELIBOCI, DECIAE,  
ZIEGENHAINÆ, NIDDAE  
ET SCHAUMBURGI,

&c. &c.

PIO, FORTI, FELICI, INCLYTO, AU-  
GUSTO, PATRI PATRIÆ,

DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO

*Has tenues dissertationis pagellas*  
D. D. D.

*Pietate, Fide atq; Obsequio*  
*Devinctissimus*

CORNELIUS van den VELDE,  
PRÆSES.





Antiquitas prodidit, Artaxerxem Per-  
 farum Regem, cum sibi, iter facien-  
 ti, operarius utraque manu hauſtam  
 è profluente aquam, dum aliud,  
 quod daret, non haberet, obtuliſſet,  
 hilari vultu accepiffe; eumque vere  
 Regie dixiſſe, munus, non uſu rei  
 oblatae, ſed ſtudio dantis, æſtimari debere; Nec mi-  
 nus regiam Maieſtatem decere & humanitatem, par-  
 va benigne alacriterque accipere, quam magna lar-  
 giri. Eo nomine, *SERENISSIME PRINCEPS*,  
 cum circumſpexi divinas fere tuas virtutes, quibus  
 Regum nulli, quotquot vel noſtra, vel patrum no-  
 ſtrorum memoria vixerunt, es ſecundus, & tuam  
 ſingularem Clementiam, qua erga me, immerentem  
 quoque, nonnullis abhinc retro annis fuiſti, auſus  
 ſum, tenues has & levidenſes pagellas ad pulvinar  
 Tuum





Tuum deponere, atque Nomini Tuo vere Augusto devovere; ea spe fretus, Te, qui magna satis hucusque mihi es largitus, & cujus Clementia res meae steterunt sartæ atque tectæ, parvula hæc sereno vultu accepturum esse. Jamdudum quidem aliquod Specimen exhibuissem; verum, cum non arbitrii nostri res sit, in publicum emittere dissertationes, nisi sint, qui in iis ventilandis operam suam subministrant, neminem fore spero, qui hoc nomine quid succensere jure nobis queat; præcipue, cum non desistamus, tam publice, quam privatim, Viros Juvenes monere, hortari, quin & orare, ut in arenam descendant; sed vix est, ut precibus nostris aliquis relinquatur locus; adeoque ad Tuam confugimus, *SERENISSIME PRINCEPS*, Clementiam, tanquam ad tutissimum nobis Asylum; susque deque habitis obtreccationibus aliorum; qui, si hic essent, & tot, tantisque negotiis, iisque concatenatis, æque ac nos, implicarentur, fortasse aliter sentirent. Vale, *SERENISSIME PRINCEPS*, Populi Tui Delicium! *DEUS* Te quam diutissime rebus humanis superstitem esse jubeat, non Hassiæ tantum sed & totius Europæ bono.

*Dabam Marburgi ip/si Idibus  
Decembris 1706.*

CA.





## CAPUT I.

### *Continens Generalia circa de- finitionem Domani.*

#### §. I.



Xstiterunt superioribus seculis haud pauci Jcti, Viri Summi & Eruditissimi, qui celebrem non minus, quam arduam de Domaniis Principum materiam sub incudem vocarunt, conscriptis de iis Consiliis, Dissertationibus, quin & Commentariis integris. In quibus cum tota hæc materia accuratissime vide-

tur esse enucleata, alterutrum nunc, cum & ego illius partem tractandam mihi sumsi, summopere est pertimescendum, ut vel acta jam agere voluisse, vel opus suscepisse videar, quod laboris potius sit, quam ingenii. Verum cum perspectis iis deprehendi, plures exterarum Gentium Doctores ea tantum tractasse, quæ cujusque Regni vel Principatus propria sunt jura & mores circa res Domaniales,

A

aliena



aliena vero vix attingisse; ex Germanis vero non paucos, auctoritate exterorum abreptos, multa alieni juris suis inferuisse Scriptis, paucissimos vero, quid juris sit circa in- & subinfeudationem Domaniorum Principum Germaniæ ex legibus moribusque Imperii Romano-Germanici definitivisse, in animum induxi, hanc præcipue materiam publica dissertatione ventilandam sumere, atque in ea disquirere, (1.) Quanam bona in Germania proprie nomine Domaniorum veniant, & (2.) Num illa bona in feudum vel subfeudum possint concedi. Quantum enim ad primum attinet, admodum fluctuant DDres; Quod ad secundum, posse concedi affirmant: *Ringler lib. 2. de Doman. German. §. 10. Bruckner. cap. 9. de Doman. German. n. 56.* negant vero cum *Brunnem. Conf. 1. n. 341. & seqq.* alii: Quorum neutri sententiæ cum salvis Imperii legibus moribusque accedere possimus, hæc, quanta fieri poterit brevitate indagabimus, initio facto ab ipsa definitione Domaniorum, omissis, quæ vocis originem, Hemonyiam & Synonymiam spectant, quæ prolixè satis à *Brucknero cap. 1. per totum* sunt exposita.

S. II.

**S**iquidem autem, quid sit Domanium Principis, esse definiendum ex jure veteri & institutis populi Romani, id admodum foret expeditum & cognitum, ni fallor, facilissimum. Illo enim jure rerum in Imperio existentium quinque numerantur species. Erant enim vel ipsius Imperatoris patrimoniales, vel fiscales, vel publicæ, vel universitatis, vel privatæ. Patrimoniales eæ sunt appellatæ, quæ erant propriæ ipsius Principis, non principatus, sed privati patrimonii jure, quæque adeo de propria esse dicuntur Principis substantia in *l. 3. C. de Quadr. præsc.* veluti si cui à populo delatum esset Imperium, certum est, eæ bona,



bona, quæ ante illud delatum ipsius erant, in ipsius dominio mansisse, cum pleno jure de iis disponendi; idque in jure civili sacrum patrimonium passim appellatur *l. ult. C. de Vectigal. l. 1. C. de Indict. Limn. in notis. Regn. Franc. l. 2. cap. 8. Hotom. quæst. illustr. 1.* Fiscales vero dicebantur, quæ attributa Principibus erant ad hoc, ut se suosque non tantum exinde alerent, sed & dignitaris illud fastigium tuerentur, & sustentarent, quæ sacrum Principis dominium vocantur, in *l. 15. C. Theodos. de Jur. fisci.* quæ est *l. 3. C. Ne rei dom.* unde hodie vocem Gallicam *Domaine* sive *Domanium* vel *Demanium* originem habere restantur *Jacob. Godofred. ad d. l. 15. Brev. de la Souver. du Roy lib. 3. cap. 1. pag. 322.* quo pertinent *l. 2. §. 4. Ne quid in loc. publ. l. 39. §. 8. & 10. de Legat. 1. r. 1. C. de Fund. & Salt. rei dom. r. 1. de Præd. Tamiac. & passim alii tit. præfert. lib. 11. C.* Aliæ erant res publicæ, quæ & patrimonium populi publicum vocabantur, quarum reditus & fructus populus sibi vindicabat, ad conservationem ipsius Reipublicæ; unde promanavit discrimen *fisci & ærarii.* Ille erat, in quem reditus publici, qui Principis, quæ Principis erant, redigebantur *l. 2. §. 4. Ne quid in loc. publ.* Hoc vero, in quod pecunia publica & Imperii *Gail. lib. 1. obs. 10. n. 3. Serur. Exerc. 15. thes. 32.* quod discrimen, quamdiu sedes Imperii Romæ fuit, videtur mansisse. De tempore Ulpii Trajani certum id est, ex *Plin. Panegyrt. At fortasse non eadem severitate fiscum qua ærarium cohibes, imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis.* Idem illud servatum tempore Hadriani, apud *Spartianum, ubi damnatorum bona in fiscum privatam redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta.* Idem de *Marco Antonio Philosopho in Avidio Cassio Volcarius Gallicanus, Senatus illum, inquit, hostem appellavit, bonaque ejus pro-*  

A 2

*scripsit,*



scripsit, quae Antoninus in privatam ararium congeri noluit, quare, Senatu precipiente, in ararium publicum relata. Postea vero promiscue fiscus dictus fuit ararium & viceversa, sublata illa differentia, praecipue sub Imperatoribus Byzantinis, de qua mutatione facta sic *Briffon. de V. S. postea fiscus fuit ararium Caesaris, in quo pecunia fiscales custodiebantur; & facta sunt hujus ararii, quae olim populi propria, eaque translata sunt in principis patrimonium. vid. Huber. l. 3. digest. cap. 21.* ex quibus evidenter satis apparet, illud tantum sacrum Principis dominium fuisse, cujus reditus inserviebant Principi ad se suamque dignitatem sustinendam,

§. III.

**S**ed sicuti in toto hoc argumento id nobis esse cavendum existimo, ne jurius patriae neglectis ad jura moreaque exterorum delabamur, ita admodum quoque foret à recto tramite alienum, si confugeremus ad jus Romanum; cum quidem Germaniae Regnum ab Imperio Romano maxime sit distinctum, illudque suis nitatur atque propriis juribus & fundamentis. Et siquidem formam rei germanicam intuemur, apparet, quondam bona, quae à Regibus Germaniae, praesertim Francorum & Carolingorum temporibus possidebantur, duplicis tantum generis fuisse, alia patrimonialia, quae instar unius cujusque privati tanquam patrimonium proprium possidebant, de quibus pro lubitu poterant disponere, alia vero publica Imperii, quae loca fiscalia seu bona fiscalina fuerunt dicta. De quibus sic testatur *Lehmann in Chron. Spirens. in der Teutschen Franckischen König Historie werden derselbe Land / Haab / Güther / Gefäu und Einkommen in zwey Theil vertheilet / nemlich in ihre Erb- und eigenthumbliche Land und Einkommen / die Sie*  
 von



von ihren Eltern oder Verwandten ererbt / oder sonst durch zulässige Mittel an sich gebracht / verwaltet und besessen / als ein ander Stand des Reichs sein Eigenthum besessen / genossen und verwaltet / damit Sie ihres Willens zu schalten und walten / solche zu verschaffen / zu veräußern und durch Testament zu verschaffen freye Hand gehabt / *xc.* Zum andern haben den Königen von wegen und in Nahmen des Teutschen Reichs gebühret und zugestanden / und seynd derselben durch einhelligen Consens des Volcks und Ständen zu beherrschen und zu regieren übergeben und eingeräumt worden / alle Bisthume / Abteyen / Gau oder Graffschafften sambt allen Städten / Flecken und Gemeinden / so darin gelegen und begriffen / und sonst niemandes eigenthum / sondern dem Reich zugehörig gewesen / *xc.* solche des Reichs Land / Stadt und Gütther hat man *loca fiscalia* genennet / oder *fiscalina* bona *fiscalische* Derter und Gütther oder Königliche Cammer Gütther / dieweil die Könige nicht allein zu Erhaltung ihres Standes / sondern auch zu Schutz und Schirm des Reichs / alle Gefäll / Nutzbarkeit und Einkommen darauf erhoben / und ihrer Schatz Cammer / das ist / dem *Fisco* zugezogen / *lib. 2. cap. 44. pag. m. 185. & seq.*

S. IV.

**E**X hac divisione bonorum multi & fere communi suffragio colligunt DD. (1.) Bona Cameralia Imperii des Reichs Cammer Gütther olim constituisse bona Domaniale Imperii, & hodiernum in Principum territoriis bona Cameralia esse Domaniale Principum Germanie. Unde in genere Brucknerus bona Domaniale definiit, quod sint bona Republica, unde proveniunt fru-



Etus & reditus ordinarii ad Summorum Imperantium ac Reipublice necessitatem & utilitatem; expresse vel tacite destinata cap. 2. de Domani. German. num. 1. adeo ut nomine Domaniorum venire existimet, jura & omnia alia ad Reipublice conservationem destinata bona dict. Bruckn. cap. 1. n. 45. in fin. alii definiunt, quod sint patrimonium populi, cujus fructus destinati sunt ad sustentanda Reipublica aut Regia dignitatis onera. Dn. Struyck. in Dissert. de Nece. edend. titul. possess. cap. 3. num. 112. definitione desumpta ex Hug. Grot. lib. 2. de I. B. & P. cap. 6. §. 11. Imo & latius extendit Knich. in Comment. de Saxonum non prov. jur. Large autem, inquit, & *et cetera* bona Domania hodie dicuntur Principum reditus & emolumenta quacunque, sive sint incorporata mensa Domini sive alio nomine percipiantur; sive ex capite commissi, sive reversionis seu consolidationis; vocantur **Cammer & Güther** / seu **eigenthümliche Güther** / & non solum bona ad Domanium referuntur, sed etiam persone, communitas, oppidum, &c. cap. 7. n. 8. Quin & (2.) multi & fere plerique DDres non verentur omnia illa, qua passim ab exteris sunt tradita jura moresque de Domaniis Regum Principumque non alienandis nec in feudandis nec oppignorandis, ad bona Cameralia indistincte omnia extendere, eaque mordicus defendere; quasi vero ex emendicatis iis, & non propriis legibus moribusque Imperii Rom. Germ. hæc sint dijudicanda & decidenda omnia.

§. V.

**A**liter igitur hæc definienda & sic statui posse censeo, in Germania nostra ipsam vocem Domaniorum fuisse incognitam, & duplicis tantum generis præcipue bona fuisse Principum Germaniæ; privata seu unius cujusque propria & Cameralia des Reichs oder Fürstliche



liche *Cammer* / *Güter* / quæ bona fiscalia fuerunt dicta. Germani enim *Cameram* vocarunt, quam Romani sequiori ævo *fiscum*. *Schilt. Ex. ad ff. 23. §. 23.* quæ sunt bona publica, unde proveniunt reditus ordinarii ad Principis & Republicæ sustentationem & conservationem. Quæ quidem num ita sint comparata, ut *Domania* vocari, usque applicari jura passim de *Domaniis* tradita possint, de eo ambigitur merito *Ringler. de Doman. German. Lib. 1. passim Lynck. Respons. 2. n. 1. & seq.* Etenim cum *Domania* nec alienari, nec infeudari, nec oppignerari posse credantur, nec ullo temporis lapsu iis præscribi, vix est, ut hæc indistincte de bonis *Cameralibus* affirmare queamus; adeoque non improbanda videtur eorum Doctorum opinio, qui bona Principum distinguunt in bona publica, quæ in genere *Cameralia Cammer / Güter* / & ea, quæ in specie *Tafel / Güter* / *Küchen / Güter* vocantur; quæ sic possunt definiri, quod sint bona Principum publica, quorum reditus & fructus expressâ vel tacita Principum voluntate sunt destinati, non solum ad Principem ejusque familiam alendam, sed & ad ejus dignitatem & splendorem sustinendum. Et hæc quidem bona jam ab antiquissimis inde usque temporibus distincta & separata fuerunt, a bonis *Cameralibus* in genere sumptis, eorumque originem in Ducatibus & Comitalibus ostendit *Lehman. in Chronie. Spir.* ubi de Ducum bonis sic ait: *Die Herzogthum oder Landschaften / darüber die Herzogen gesetzt / sind des Reichs Eigenthumb / die Herzogen und Grafen derselben Stambten zugeordnete mit Regenten / welche die Unterthanen ihres Herzogthums nach des Reichs Gesetzen und Ordnungen Gehort und Verbott regieret und verwaltet / und hieran einen bestimmten Theil des Landes Nutzungen und Gefäll.*



fall eingenommen. *lib. 2. cap. 16. pag. m. 82.* De Comitum vero bonis refert: Die Grafen oder Königliche Land- Richter haben neben ihren eigenthümlichen Gütern/ zu Erhaltung ihres Standes/ vom König und dem Reich sonderbare Güter/ an Wälden/ Aeffern und Wassern/ und dazu gehöriger Gerechtigfeit/ in Besitz und zu nutzen/ und messen/ auch sonderbare Königliche Leib- Eigene gehabt/ die solche Güter der Herrschaft zu Nutz erbauen und handhaben müssen. *lib. 2. cap. 17. pag. 87.* quæ omnia etiam si mutata esse videantur; mutato rerum statu, postquam nimirum Ducatus & Comitatus jure proprio feudi dari coeperunt, & superioritas territorialis accessit, non obscure tamen apparet, remansisse hanc distinctionem bonorum in plerisque Principatibus & Comitatus, ubi adhuc hodie habentur *Vorwerke/ Mühlen/ Tafel-Ämpter/ Küchen/ Dörffer/ zum Fürstl. Unterhalt deputirer.* Quo etiam pertinent palatia Principum, Fürstliche Residenz- Häuser/ Schlösser/ Wild- Bahnen/ &c. & paucis omnia illa, quæ ad Principis necessitatem, dignitatem, & splendorem sunt destinata bona, à reliquis bonis Cameralibus omnino distincta. Quæ quidem à multis proprie Domania vocantur, quod licet vix convenire cum stylo Germaniæ autument, *Ringl. & Lynck. dict. loc.* potiori tamen jure Domania seu sacrum Principis Dominium possunt vocari, iisque applicari jura de Domaniis à Doctoribus tradi solita quam bonis Principum publicis seu Cameralibus; non tam ex legibus & institutis exteriorum, quam ex evidenti naturalis juris & æquitatis ratione, qua de re, *cap. 3.* Sic quoque *Reusn. l. 4. decis. 4. n. 1. bona domanialia esse dicit, quæ ad cultum victumque Regis vel Principis sunt assignata.* Et Doctores à *Bruckn. allegat.*



allegat. cap. 1. n. 45. Quibus addatur *Dn. Coccej. in l. P. P. cap. 9. §. 18.* Fuit etiam hæc communis sententia veterum juris feudalis Doctorum, cum *bona Domania* simpliciter dixerunt, illa esse, quæ deputata sunt, ad vivere Regum, quos vid. apud *Knich. loco supra allegto n. 2. & 3.*

§. VI.

**D**iximus modo *Dominia* seu *mensalia bona Principum* oriri ex destinatione expressâ vel tacita. Illa autem vel prima constitutione talia sunt, & cum ipsis principibus veluti nata. Omnino enim naturalis ratio exigit, ut, cui summæ dignitatis fastigium est delatum, etiam attribuantur, quibus digne illud sustineat: Pufend. lib. 8. de J. N. & G. cap. 5. §. 8. Id, quod ei competit, qui summam habet in Republica potestatem, vel ei analogam, qualem in Principibus Germaniæ deprehendimus, ob superioritatem territorialem illis concessam, *die Landsz Fürstliche hohe Obrigkeit*; vel accessione talia fiunt; id quod unione seu incorporatione facta contingit; quæ iterum duplex, expressâ vel tacita; Illa de Jure Romano solemniter fiebat; cujus ordinem & modum eleganter & solide describit *Jacob. Godofr. in paratir. tit. 9. C. Theodos. de Incorporat.* (1.) Delatis, inquis, *bonis arario Palatini seu officiales Comitum rerum privatarum electi & jure jurando obstricti emittebantur l. ult. C. Theodos. de Bon. vacant;* ad perquisitionem bonorum faciendam. (2.) *Rektoris provincia cognitio sequebatur, presente Advocato fisci, & data reclamandi copia d. l. ult. Bonag. describi curabat. l. 7. C. Theodos. de Bon. proscript.* (3.) *Descriptio bonorum ad Principem mittebatur l. 2. C. Theodos. l. 2. de Incorporat.* (4.) *Occupatio deinde sequebatur bonorum d. l. ult. que quidem fiebat rite atque solemniter l. 1. C. Theodos. de Incorporat. dispositione Comitum rerum privatarum d. l. 1. cura*

R

Ratio.



Rationalis, per cuius officium incorporatio complebatur d. l. r. titulis adiectis seu affixis prædiis l. 1. l. 20. de Bonis proscript. Tituli autem dicebantur adijci, imponi, quando nomina Principum inscribebantur fisco adiectis; hinc l. r. C. Theod. de Incorporat. Tituli, quorum adiectione prædia nostris sunt consecranda nominibus. Qui mos postea translatus quoque fuit ad nonnullas res ecclesiasticas, quæ propterea tituli sunt vocata. De quibus in sequentibus. *in q. 1. l. 1. §. VII.*

**H**odie tamen, explosa illa uniendi seu incorporandi solemnitate, expressa fit, quando Princeps declarat, se velle, ut bona, de quibus uniendis quaritur, bonis Domaniâlibus, seu mensalibus sint unita & inventaria bonorum Domaniâlibus inferantur, *Mench. de Arbitrar. judic. quæst. cas. 433. n. 4. Schrad. de Feud. part. 4. cap. 2. nu. 24.* de qua quidem inter omnes convenit, præcipue, quod spectat principatus singulares; Sed de tacita non admodum videtur esse liquidum, quando fieri dicatur. Et nullum quidem est dubium, quin fieri possit, cum nihil intersit, Princeps verbis an factis voluntatem suam declaret *arg. l. 32. de Degrb.* eamque tum fieri prædicta, quando res unienda, sciente atque patiente Principe, ab officiâlibus reddituum mensalium & Domaniâlibus, eodem jure, quo bona mensalia, tractentur, fructusque illorum per eundem dispensatorem colligantur. *vid. DD. modo laudat.* Omnino enim in hac æque ac in expressa de enixa Principis voluntate constare debet, ita quidem, ut nuda designatio non sufficiat, nisi sit in effectum deducta, *arg. l. 17. §. 7. de Act. empt. & vendit.* Sed oportet talis ut sit incorporatio, ex qua evidenter appareat, voluisse Principem, ut res unita perpetuæ accessionis loco sit, imo ut unum cum ea, cui accedit, constituat corpus integrum: de



de qua sunt textus in l. 24. de Legat. r. l. 20. §. 7. de Instruēt.  
 Et Instrum. legat. Schnad. de Fend. sect. 2. quest. 5. num. 10.  
 Meichner. vol. 2. decis. Cameral. 9. nu. 14. Wesenb. vol. 1.  
 Conf. r. n. 52. adeo quidem, ut, nisi omnino sit notorium,  
 esse incorporatione res Domaniales & mensales factas,  
 præsumtio magis militet pro bonis publicis & non men-  
 salibus, quam contra, siquæ onus probandi rejiciatur in  
 eum, qui talia esse affirmat. Consistunt enim incorpo-  
 rationes in facto, quod est probandum, Menoch. libr. 4.  
 præsumpt. r. n. 2. Boer. dec. 145. in fin. Stuck. conf. 15. n. 938.

**N**ec etiam est, quod admissa distinctione inter res in-  
 feudari, & non infeudari solitas, has Domaniales  
 & mensales esse dicamus, illas vero non. Hæc etenim  
 distinctio, eousque, ut res dicatur Domaniæ & mensalis  
 vel non, merum inventum est Juris Canonici & Canoni-  
 starum, tantumque sibi locum vindicat, in bonis Prin-  
 cipum Ecclesiasticorum: Modest. Pistor. Conf. 15. num. 10.  
 nec promiscue in omnibus, sed quæ vere Ecclesiasticæ sunt,  
 & in 1. feud. 6. dicuntur Tituli, quæ ab aliis bona mente  
 vocantur. Quæ quidem bona, cum sæpe cum aliis re-  
 bus, quas Ecclesiastici Principes possident, confundan-  
 tur, indeque dubia exoriantur non exigua, paucis hæc  
 indagabimus.

**I**mprimis autem est monendum, aliter plane esse con-  
 paratum cum Episcopis Germania, ac aliorum plerum-  
 que Regnorum. Illi enim duplicem sustinent personam,  
 secularem & ecclesiasticam; hi ecclesiasticam tantum.  
 Hinc etiam in Germania distinctio honorum, quod alia  
 sint mere Ecclesiastica, alia vero secularia, seu ut vocan-  
 tur temporalia. Mere Ecclesiastica sunt, Decimæ, Obla-  
 tiones,



tiones, Dos Ecclesiarum, aliaque & bona mensurae, seu tituli  
 Secularia vero illa, quae ab Imperio recognoscunt titulo  
 feudi. Bona mensurae, quae etiam passim tituli, in 1. F. 6.  
*princip.* seu res tituli *Can. 50. caus. 12. quest. 2.* ex titulo ec-  
 clesiasticae matricis *Can. 51. dict. caus. & quest.* imo etiam  
 simpliciter ecclesiae vocantur. *Petr. de Marc. Dissertat. de*  
*Primat. Lugdunen. in not. ad Consil. Claromont apud Schilt.*  
*ad cap. 30. Iur. Aleman. feudal. §. 4.* nihil aliud sunt, quam  
 huiusmodi bona quae piorum hominum, vel Imperato-  
 rum Principumque, vel ipsorum etiam Clericorum obla-  
 tione & liberalitate erant destinata, & addicta ad necessa-  
 riam sustentationem Episcoporum & Clericorum. *Struv.*  
*Syntagm. jur. feudal. cap. 6. §. 4. n. 2.* unde etiam conve-  
 nientia stipendia militiae Clericalis dicuntur. *in cap. 4. ext.*  
*de Prab. Bitsch, in Comm. jur. feudal. ad 1. feud. 6. princ.*  
 ita quidem, ut non solum omnem inde perceperint uti-  
 litatem, sed & ecclesia ipsam in illis habuerit propieta-  
 tem *Teub. apud Modest. Pistor. Conf. 40. n. 1. Stuck. Conf. 16.*  
*num. 59.* eaque tam arte cum Ecclesiis fuerunt conjun-  
 cta, ut aequae ac illae pro rebus promiscuo hominum com-  
 mercio exentris fuerint habitae *Ziegl. de Dot. Eccles. cap. 12.*  
*§. 6. & 7. Stuck. Conf. 16. n. 60. & 61.* Unde etiam indu-  
 firmatum semper fuit, & communi Canonistarum consensu  
 firmatum, uti ipsae quidem Ecclesiae Pontificum auctori-  
 tati fuerunt subjectae, sic etiam Pontifices propter arctam  
 illarum rerum cum Ecclesiis conjunctionem circa illas res  
 leges seu canones, illarum administrationem, & alienatio-  
 nem concernentes, sanxissent, idque pro moribus istius &  
 nostri seculi jure potuisse *Brunnem. Conf. 1. n. 305. Klock.*  
*vol. 3. Conf. 131. n. 77. Rosenth. de Feud. cap. 4. Conclus. 33.*  
*n. 1.* Id quod saepissime factum esse, non tantum ex tt.  
 Jur. Canonici de Reb. Eccles. alien. vel non. evidenter appa-  
 ret,



ret, sed & ex Bulla Sixti V. seculo XVI. anno 1587. edita, qua cautum, ne bona mensæ alienentur, impignerentur, vel de novo infeudentur vel aliquo modo alienentur, etiam cum consensu Capituli, in consulto Pontifice Romano. *Lynck. in anal. jur. Can. lib. 3. tit. 13. quest. 5. Ringl. l. 2. de Doman. Germ. §. 11.*

§. X.

**A** Billis bonis mensalibus maxime differunt bona secularia, quæ à nonnullis bona ecclesiastica communia, rectius ecclesiasticorum bona secularia *ab Eiben. in Elect. lur. Feud. vocantur.* Etenim antiquis temporibus Episcopi tantum possidebant bona mere ecclesiastica, quæ ipsis & Ecclesia piorum hominum liberalitate erant donata & assignata, postea vero, cum Imperatoribus plerumque consiliis suis adesse, adeoque capita efferre cœpissent, factum est, ut, mutata paulatim eorum conditione & statu, amplissimis feudis fuerint investiti, *vid. Inter. de Feud. Imp. cap. 1. §. 19. Inform. jur. & fact. in caus. Hildesb. contr. Braunsf. cap. 4.* Id quod præcipue Ottonum & quidem primi tempore factum esse constat ex Theodorico de Niem, fol. 811. *Pene omnibus, inquit, cathedralibus Ecclesiis in Italia, Gallia, Germania, multas civitates, castra, oppida, villas & multa alia Dominia temporalia & Iurisdictiones donavit, & omnibus illis Ecclesiis propria insignia perpetuo deputavit.* Archi-Episcopus quoque & Episcopos, Ducatibus, Comitibus & Baronibus communiavit, quibus Nobiles & potentes Vasallos subiecit, ut semper essent ad resistendum etiam manu forti paganis & hereticis in opportuno tempore fortiores; *apud Lehm. lib. 4. Chron. Spir. cap. 3. pag. m. 275. & seqq. quæ quidem bona neutiquam ecclesiastica facta, sed qualitatem suam secularem retinuerunt. Struck. Conf. 15. n. 842. & passim Conf. 16. n.*



59. & seqq. Illaque jure feudi & olim & nunc ab Imperio Episcopi recognoscunt. Sic *Lehm. dict. lib. 4. cap. 3.* §. Demnach Kayser Ott. 20. Hat er die Sach dahin ermesen / wann er die Bischöffe und Aebte / mit weltlicher Herrschafft dergestalt begabt / daß Sie davon die darauff gehafftere Dienste leisten / und jäherlich zu solcher Leistung und Erstattung verbunden seyn müssen. Hinc etiam Episcoporum investiturae conceptis verbis inseri solet, seine und seines Stiffts Regalia und Weltlichkeiten / mit allen und jeglichen Mannschafften / Herrschafften 2c. non qua Episcopi, sed qua Principes Imperii *Coed. vol. 4. Conf. Marp. 48. n. 1. 4. 10. Schütz. vol. 1. de 1. P. Ex. 6. th. 11. lit. f. Gail. obs. 30. n. 2. Heig. part. 1. quæst. 4. n. 53. Vultej. de Feud. cap. 5. num. 7.* Adeoque sicuti Episcoporum territoria ab Imperio feudali nexu plerumque pendent; sic nemo negaverit, illa quoque constitutionibus & consuetudinibus Imperii subesse & plane erroneè hic recurri ad Pontificum decreta, si quid circa illa emergat controversi; *arg. l. ult. de Jurisdic. Gramm. Decis. Neapolit. 29. n. 12. & 13. Stuck. Conf. 15. num. 865. Lynck. in anal. jur. Cam. lib. 3. tit. 13. quæst. 5.*

§. XI.

**H**is positis, non dubito, (1) eorum sententiam admodum esse infirmam, qui, quoties quæstio exurgit, de bonis Principum Ecclesiasticorum alienandis, oppignerandis, vel infeudandis sive alio modo in aliquem transferendis, indistincte requirunt solennitates juris Canonici à DD. solícite satis conquisitas. (1.) Deliberationem Episcopi cum Capitulo super alienationis justitia habitam. (2.) Unanimem eorum consensum. (3.) Subscriptionem majoris partis Capituli instrumento alienationis factam. Et (4.) instrumentum ab alienationis instrumento



mento separatum super deliberatione habita; Quin & (s.) Consensum Pontificis. *Vngep. ad tit. ext. de Reb. Eccles. alien. vel non. Wesenb. Consil. 59. per totum*; nulla facta differentia inter bona mere Ecclesiastica & secularia feudalia, de quibus ultimis plane negandum esse arbitror cum *Gail. lib. 2. obs. ult. n. 5.* cessante nempe in hisce bonis Pontificis auctoritate & consequenter ejus decretis, per §. præced. Ex iisdem principiis (2.) existimo, male à nonnullis DD. *vid. Schneid. in 15. feud. p. 2. n. 3. verbis ex mente igitur DD. &c.* distinctionem illam inter res infeudari & non infeudari solitas *ex 1. Feud. 6. princ.* applicari ad Principum Ecclesiasticorum in Germania bona indistincte omnia, sic quidem, ut illa, quæ non solent in feudum concedi, mere Ecclesiastica & bona mensæ esse contendant. Est enim hoc contra ipsam mentem Pontificis, cum non omnium indistincte bonorum, & quæ quovis jure ab Episcopis possidentur, faciat mentionem, multo minus eorum infeudationem prohibeat, id quod etiam non potuit, per §. præced. sed titulorum tantum. Totaque res sic comparata mihi videtur. Olim cum ex nimio Religionis zelo opes Ecclesiæ ad sustentationem Clericorum concessæ in immensum crevisserent, & ampliores longe essent, quam ut impendi omnes in eorum sustentationem potuerint, factum est, ut, in feudum datis hujusmodi rebus, Vassallos sibi comparaverint, qui re exigente eos defenderent atque tuerentur. Urbanus Papa autem veritus ne imminuerentur admodum tituli, & sic aliquando laborandum esset Ecclesiæ, novas de illis infeudationes fieri veruit, jam vero factas non revocavit. Unde res titulorum, quæ non revocate & ante erant in feudum concessæ, pro infeudari solitis sunt habitæ, reliquæ vero pro non infeudari solitis. Id quod *ex Birsch. solid. 100.*

appa-



apparet ad 1. Feud. 6. Cum igitur, inquit, auctis opibus Ecclesia Pralati quoque feuda dare cepissent de iisdem Ecclesia bonis, qua cuiusque dignitati & officio assignata erant, veritus Papa Urbanus 11. ne illa nimium imminuerentur, in Concilio Placentino, non quidem ea feuda, quae jam data erant, revocare potuit, sed tamen, quae deinceps nova (de Ecclesiae quidem bonis, non de profanis) darentur, irrita pronunciauit, adeoque, ne darentur, vetuit. Unde hodie apud feudistas istud axioma frequentatur; licere Pralato rem Ecclesia (i. e. qua Ecclesiae est) infeudari solitam in feudum alii dare, non solitam autem infeudari, eum in feudum dare non posse, conf. Vultej. lib. 1. de Feud. cap. Schilt. ad cap. 30. I. A. F. S. 5. verb. Agit itaque &c. (3.) Apparet, pejus longe illam distinctionem applicari ad bona Principum secularium; cum quidem, quantum ad illa nusquam sit fundata Modest. Dist. vol. 1. Conf. 15. n. 10. Bitsch. ad 1. f. 1. ad princ. Licet enim hac regula negative procedat, quod, quaecunque infeudari solent, non sint Domanialia, affirmative tamen non procedit, quod, quaecunque non infeudentur, propterea Domanialia sint, nec facit ad rem, quod in dia. 1. f. 1. dicitur. Ducem, Marchionem & Comitem SIMILITER feudum dare posse; Vox similiter enim, bonorum qualitatem non respicit, sed jus, quod utrisque aequè competere hic affirmatur. Et haec quidem pro instituto nostro sufficiant, ad id scilicet, ut appareat, quam bona Domania sive mensalia dici possent existimemus.



## CAPUT II.

### *De In. & Subinfeudatione Bonorum Principum Germaniae.*

§. I.

**P**ostquam in capite præcedenti vidimus differentiam bonorum, quæ Principes Imperii possident, quantum quidem ad nostrum institutum pertinet, nunc, quod dissertationis nostræ est præcipuum, examinandum est, nimirum (1.) an bona Principum publica seu Cameralia in feudum vel subfeudum possint concedi, id quod hoc in capite videbimus; & (2.) num etiam illa bona, quæ proprie mensalia *Tafel/Güther / Küchen/Güther* vocantur, in subfeudum possint dari, de quo *cap. 3.* quæ ut reddantur clariora, pauca de jure, quod Principibus competit, & de alienatione in genere sunt præmittenda, antequam ad ipsam in. & subinfeudationis materiam accedamus.

§. II.

**I**n Principum autem jure investigando, quod habent in regnis atque territoriis sibi commissis, notandum est, alios Principes esse plane summos, qui præter Deum & ensẽm superiorem non recognoscunt, alios vero, qui territoria sua cum dignitate & superioritate territoriali recognoscunt à superiore. Illorum jus omne, sive electione, sive successione sint tales, consistit in summa potestate Imperii legitime exercendi, quæ versatur in justitiæ administratione & tuitione atque conservatione eorum, quæ

C

à po-



à populo Principi sunt concessa. Sive enim respiciamus statum illum primævum, quo relicto genus humanum in civitates abiit, sibi que vel Reges constituit, vel imperium Optimatibus dedit, vel populus sibi servavit; sive aliorum regnorum constitutionem; populus non aliter hanc potestatem concessit Regibus, quam ut justitiam administrarent, & ut se suaque tuerentur & facta atque recta conservarent omnia. Unde ubique gentium fere Reges in regni susceptione ad id recte administrandum sese obstringere solent, promisso vel generali vel speciali; adeo quidem, ut generale promissum intelligatur inesse in ipsa ejusdem susceptione, etiamsi nil expressè fuerit dictum, Puf. lib. 7. de J. N. & G. cap. 6. §. 10. Et id est, quod Veteres constanter dixerunt; Reges justitiæ causa esse; Et divine fere pronunciauit Cic. lib. 1. de Offic. *Ut tutela, sic procuratio Reipublica, ad utilitatem eorum, qui commisi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, est gerenda.* Et Euseb. apud Stob. sermon. 44. p. 309. *Non ad regnandum promotus es, ut te ipsum ulcisceris, verum ut imperio tuo subditos, etiam ab aliorum insidiis securos atque tutos custodires, & ut custos esses recti & magna Dea justitiæ minister atque interpres.* Ita ipse Salomo sapientissime effatus est, Regis solium justitiæ fundari. *Prov. XVI, 12.*

§. III.

**A**Tque adeo quidem in justitiæ administratione & Reipublicæ tutela consistit officium & jus Principis, ut, si quid à Principe committatur, quod vel ad destruendam Reipublicam pertinet, vel à justitiâ abiret, id adverteretur fini, in quem sunt Principes constituti, iique excedant terminos potestatis sibi concessæ. Unde Augustin. libr. 4. de Civit. Dei cap. 4. *Remota justitiâ, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia! Quin & omnigenam polli-*



pollicetur felicitatem Deus imperantibus iuste, iniuste vero vastationem atque ruinam *apud Ierem. cap. XXII. v. 3. & seqq. & cap. XXIII. v. 5. Psal. LXXXII. per tot.*

## §. IV.

**H**Oc imperium & summa potestas Principi à populo cum sit concessa, norandum est (1.) ea quoque necessario concessa videri, sine quibus administrare iustitiam, & tueri atque conservare Rempublicam non potest. Concesso enim sine, concessa quoque intelliguntur media, sine quibus finem obtinere non possumus *arg. l. 2. de Iuris d.* Unde fluunt omnia jura Principi in Republica competentia. Quin & (2.) præcipue tenendum summa potestate Principi concessa, sic eam omnem in eum esse translata, ut nil remaneat penes populum, omnisque potestas in populo sit extincta, nisi speciali lege hæc restringatur, ut late hæc tractat *Grot. lib. 1. de I. B. & P. cap. 3. §. 8.* Id quod etiam de populo Romano constat, qui translato in Imperatores Imperio, dicitur eis & in eos omne Imperium suum & potestatem concessisse §. 6. *l. de I. N. G. & C.* Nihil enim tam contrarium esse potest, quam populum Principi summam potestatem concessisse & eam residere etiam nunc in populo. Unde generose admodum Valentinianus Imperator militibus respondit, *apud Sozom. Histor. Eccles. lib. 16. Ut me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra sicut erat potestate, o milites. At, postquam me elegistis, quod petistis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi, qua facienda sunt, cogitare.* Inde est quod Principes summi præter Deum & enssem alium non dicantur recognoscere superiorem & judicem. His positis procul dubio in solius Principis est positum arbitrio, quam velit inire rationem administrandæ Reipublicæ sive ipsè per se ad-



ministret, & aliis utatur tanquam ministris, vel etiam potestatibus, ut vocantur, subordinatis, modo consequi & obtinere finem Imperii, nempe justitiæ administrationem & Reipublicæ conservationem possit. Adeo quidem, ut quicquid Princeps vi potestatis sibi concessæ fecit, nec subditi possint revocare, cum sint inferiores, nec successores, cum ex eo, quod Princeps valide gessit & ex jure sibi competenti jus sit quæsitum, quod successores regulariter nemini possunt auferre.

§. V.

**P**Rincipi autem cum Imperium competere diximus, nondum inde sequitur, ipsam terrarum & jurium substantiam sic Principis esse, ut Dominium proprie & strictè sic dictum in ea ipsi competat; sed hæc potius populi patrimonium est, & manet. *Cujac. lib. 15. obs. 30. in fin. Dn. Coccej. cap. 9. in l. P. P. §. 19. & seqq. Grov. de l. B. & P. lib. 2. cap. 6. Panormitan. ad cap. Intellecto X. de Inrejur. n. 1.* Id quod non solum legibus Romanis sic est definitum; *Publica sunt, qua in patrimonio sunt populi Romani. l. 14. de A. R. D. sola ea publica sunt, qua sunt populi Romani. l. 15. de V. S. confer. l. 17. de V. S. l. 3. princ. ne quid in loc. publ.* Sed & fuit hæc constans Gentium opinio; Sic *Seneca lib. 7. benefic. cap. 6. Casar omnia habet; Fiscus ejus privata tantum & sua; & universa in Imperio ejus sunt, in patrimonio propria.* Inde Imperator Pertinax possessionibus etiam Imperatoriis suum nomen inscribi vetuit, non esse dictitans Imperantium proprias, sed communes Romanorum & publicas. *Apud Herodian. lib. 2. Et Flor. lib. 3. cap. 13. Vectigalia, inquit, i. e. Imperii patrimonium.* Et ex recentioribus *Thuan. lib. 63. histor. memorat; Cum Henricus III. Galliarum Rex anno 1577. in Comitibus Blasensibus proposuisset, ob imminens bellum se decrevisset;*



creviffe, centum aureorum annuorum millia ex Regni patrimonio alienare, Aemarus Burdegalensem Praesidem ordinum nomine generose respondiſſe; nullo caſu alienari patrimonio corona & Regni poſſe &c. quippe cujus Rex tantum ſit uſufructuarius, proprietate penes Regnum manente. Addatur Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 6. §. 11. Quamvis, cum illi Principem tantum uſufructuarium Regni vel territorii eſſe ſtatuunt, vix aſſenſum mereantur, & non admodum ſit tutum, ſecundum juris privati principia ubique publica metiri. Hinc rectius meo iudicio hæc explicat *Illuſtr. Coccej. cap. 9. in Iur. P. P. §. 16. & ſeqq.*

§. VI.

**H**is poſitis [I.] concludo, Principem alienare regnum vel territorium non poſſe, ſive totum, ſive ejus partem; Alienando enim (1.) notorie excederet fines poteſtatis ſibi conceſſæ per §. 2. & ſeq. cum ſit ad imperandum. adminiſtrandum & conſervandum datus, neutiquam vero ad alienandum & deſtruendum. Quin etiam (2.) de re aliena diſponeret, per §. *preced.* Nemo autem plus juris in alterum transferre poteſt, quam ipſe habet. Accedit (3.) quod, qui initio in civitatem coivere, aut ultro poſt acceſſere, pacto ſe invicem obſtrinxerint, quod uno eodemque imperio regi velint, quamdiu intra ejuſdem civitatis fines degere placeat. *Pufend. lib. 8. de I. N. & G. cap. 5. §. 9. Hug. Grot. lib. 2. de I. B. & P. cap. 6. n. 11. & ſeq.* Inde cum Nero Imperator dubitaret, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret, impetum ejus artinuere ſenatores, diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus res publica ſuſtineretur, deminuerentur. *Tacit. lib. 13. Annal. cap. 30.* Et Franciſcus I. Galliarum Rex, cum in conditionibus pacis cum Carolo V. initis regni nonnullas provincias Carolo ceſſiſſet,



fisset, postea ex carcere dimissus, hanc cessionem inter ceteros hoc obtentu revocavit, quod minime in Gallia Regis potestate esset, sine Ordinum regni consensu se ad quidquam ex iis, quae ad regni corpus spectarent, alienandum obligare; apud Guicciard. Historiar. lib. 17. sive totalis & plena sit alienatio, sive minus plena, ut puta, oppignatio, qua aliquando ad totalem pervenitur; cum illa omnis fini, propter quem Princeps est constitutus, adferetur. Nisi forsitan summa necessitas & evidens utilitas hoc flagitet, quamvis dissentiat Grot. lib. 2. cap. 6. §. 9. Cui tamen solide responderet Tesmarus, Celeberrimus quondam hujus Academiae Jctus in Not. ad h. l.

§. VII.

Concludo [II.] etiam si Princeps eo, quo diximus, modo alienare non possit, cum tamen infeudare territoria posse, ut in statum seu potestatem subordinatam, retento sibi jure summi Imperii. Hac enim ratione (1.) eos, quibus feudum concedit, non solum obnoxios sibi tenet ad fidelitatem & servitia reliquaque praestanda, quae ex nexu illo veniunt feudali, sed & (2.) non tam alienat, quam per ipsos administrat, quam administrationem potest ille per alios, qua ipsi visum fuerit lege, exercere. per §. 5. supra, Dn. Coccej. in I. P. P. cap. 9. §. 19. modo sic finem, propter quem est constitutus, possit obtinere. Praecipue (3.) cum administratio imperii sic melius procedat. Quilibet enim, quam quasi propriam tenet ac possidet rem, melius defendit ac curat, quam plane alienam. Nec possunt summi Principes ad obsequium & fidelitatem redigere magis eos, per quos provincias administrant, nec magis cavere, ne cum hostibus illi in perniciem imperii conspirent, quam, si datis in feudum territorii, hi non ad vitam modo, sed etiam in posteris fundam

daram



datam sibi & firmatam videant potestatem. *Junq. Dn. Lynck. in dissert. de Superior. terris. pag. 12.* Et hæc præcipua imperii administrandi ratio fuit apud Germanos, Longobardos, Francos, aliosque Europæ populos; illaque pro firmissimo & immoto regnorum stabiliendorum fundamento fuit habita, assignatis nimirum principibus certis terris atque provinciis, eos sibi devincire potius, quam omnia retinendo de summa imperii periclitari. *Cujac. lib. 1. de Feud. tit. 1.* Inde est, quod non solum in Germania tot tantosque videamus erectos Principatus & Comitatus, sed & in Gallia quondam fuisse Burgundiæ, Normanniæ, Britannicæ aliosque Principatus & Comitatus complures, qui tamen postea cum regia Corona, vel jure successionis, vel pactioibus & foederibus iterum conjuncti, in unum cum regno corpus coaluerunt. *Jungatur Sigon. de Regn. Ital. lib. 7. in Ottone Magno. pag. m. 175.*

§. VIII.

**H**ÆC quidem ex iis, quæ diximus, satis fluere videntur; verum, num etiam in Imperatore & Germanicæ Principibus locum habere possint, ut propius ad argumentum nostrum accedamus, est videndum. Regum Germanicæ potestas autem, cum non tam absoluta fuisse credatur, ut pro lubitu statuere de imperii administratione potuerint, sed certis restricta fuerit legibus, sic quidem, ut ipsi Status & Principes in ejus administratione concurrerint, merito est ambigendum, num solis Imperatoribus licuerit de bonis Imperii publicis seu Cameralibus disponere. De alienatione quidem totali res dubio caret, quin non potuerint, non modo ex rationibus §. 6. & 7. adductis, sed &, quod Imperatores, delato imperio, jurejurando fuerint obstricti, se ex imperio nil alienatu.



naturus esse. *Limn. de I. P. cap. 12. nu. 31.* De infeudatione autem plus dubii esse potest, num solus Imperator seu Rex Germaniæ illas facere potuerit, & absque Ordinum Imperii consensu, etiam ante Capitulat. Caroli V. Negat id *Conring. cap. 19. de Finib. Imper.* cuius sententiam quoque amplectitur *Limn. ad Capitul. Caroli V. art. 9. pag. 163. & seq.* Affirmat *Strauch. in dissert. de Oppignerat. Imper. th. 50. & seq.* Argumenta Conringii sunt (1.) quod ante Maximiliani & Caroli V. tempora multæ reperiantur leges & constitutiones Imperii, quibus esset cautum, ne liceret ulli Romanorum Regi seu Imperatori Principatum aliquem ab imperio alienare, sed omnes imperii Principatus in suo jure & honore illætos conservare, quem vide apud *Itter. de Feud. Imper. cap. 7. §. 31.* quibus (2.) accedit ratio ex actis depositionis Wenceslai desumpta, ubi inter causas depositionis refertur: So hat er auch das heilige Römische Reich schwebelich und schädeglich entgliedert und entgliedert lassen / nemlich Meylan und das Land in Lamperten zc. darinnen der von Meylan ein Diener und Ambtmann was des heiligen Reichs / den er nun daruff einen Herzogen und zu Pafey einen Grafen gemacht zc. Et huc (3.) pertinet exemplum ex Archivis Geldricis desumptum apud *Sande ad Consuetud. Geldria tract. 2. tit. 1. cap. 5. num. 5.* Cum Henricus III. Telonium Noviomagense sine constantia & consensu Principum Imperii Theodorico Comiti Chivensi in feudum concessisset, id Henricus IV. revocavit; sententiæ verba hæc sunt: *Nos tandem ipsum secundum sententiam a Principibus imperii prolatam dicto Telonio privavimus, & dictam concessionem, qua sine constantia & consensu Principum imperii facta fuit, cassavimus.*



**H**Æc quidem argumenta sententiam Conringii & aliorum prima fronte stabilire admodum videntur; verum tanti non sunt, ut inde illud, quod concludit, plane sequi existimem. Non enim est negandum, Francorum Regum, præsertim Caroli Magni ætate, imperatoriam majestatem, auctis nondum sic Principum imperii viribus, in summo veluti jurtum fastigio fuisse collocatam, & imperii administrandi rationem liberiorem longe, nec sic legibus fuisse adstrictam, ac quidem succedente ætate fuit factum. Tunc temporis enim in Imperatorum fuit arbitrio sitam, res imperii moderari per Principes & Comites, tanquam Officiarios & ministros, quorum non tantum consensu & auctoritate, quam consiliis & suasionibus res Imperii administrabatur; inque certis territoriis erant præfecti sub Feudi lege. Quæ infeudationes, pro statu & forma imperii, ne utiquam pro alienationibus fuerint habitæ, sed erant illa territoria annexa Principum aliorumque statuum subordinatorum officiis, cum in finem constitutis, ut in curarum partem eos assumerent, perque illos imperium administrarent Imperatores. Inde pro diversitate officiorum dicti sunt *Marggraffen/Landgraffen/Burggraffen* & simpliciter *Graffen*. vid. *Dn. Coccej. in l. P. P. cap. 15. §. 1.* Quin & ipsæ Principum & Comitum dignitates sunt vocatæ *Nembter/Ambachten*; in *Spec. Svecic. lib. 1. cap. 63. die Fürsten-Ambt sind zu cristen gelistit u. & lib. 1. cap. 20. §. 1. Man mag mit Recht kein Fürsten-Ambt zweyen Mannen gelehren.* vid. *Schulter. in Comment. ad l. A. F. cap. 42. §. 21.* Et, licet Regibus Carolingis extinctis, paulatim circumscribi cœperit Imperatorum potestas; Principum vero majora indies sumserit incrementa, nullus dubito tamen, quin illa infeudan-



di potestas, à longo inde tempore derivata & usu veluti roborata, in ipsis remanserit Imperatoribus. Huic nostræ sententiæ suffragari videtur perpetua imperii praxis. Sic enim constat Ottonem I. plurimas Germaniæ terras Episcopis feudi lege concessisse. *Lehmann, supr. laud. Regnum Italiæ Berengario, Arelatense Rudolpho, Dn. Coccej, d. cap. 9. §. 19. vid. Auctor der Braunschweigischen Information cap. 4. pag. 153. & seqq. Sigon. de Regn. Ital. d. pag. 175.* In quibus quidem & pluribus aliis consensum Ordinum accessisse, nusquam apparet, prout plura collegisse exempla *Strauch, in d. dissertat. de Oppignerat. Imper. auctor est Iter. de Feud. Imper. d. l.* Suffragantur quoque veteres J. F. Doctores, qui unanimi consensu Imperatori soli tribuunt hanc potestatem, quamvis nec totum nec partem imperii alienare ipsi liceat; quos magno numero allegat *Vulsey. lib. 1. de Feud. cap. 5. n. 15. & Godofred. Anson, in dissert. Feud. 2. th. 4. lit. b.* Et hoc quidem merito; cum enim, delato in Imperatores imperio, summa potestas in eos transferatur, illud quidem jus vi istius summæ potestatis licite exercere possunt *per §. 7. supr.* nisi id reperitur Imperii legibus vel Capitulationibus restrictum vel ademptum; id, quod quondam factum esse, nusquam apparet. Nec ad rem faciunt, quæ *§. præc.* fuerunt allegata.

§. X.

**D**Urauit autem hoc Imperatorum jus usque ad Maximilianum I. sub quo illud restringi cœpit. *Rumelin, ad A. B. dissert. 7. th. 11.* præcipue vero sub Carolo V. in ejus Capitulatione, adeo, ut non tantum infeudandi, sed & reinfeudandi potestas Imperatoribus fuerit adempta, in qua statutum: *Wann auch Lehen dem Reich und uns bey Zeiten unserer Regierung cröffinet / und lediglichen heimfallen werden / so etwas merckliches ertragen / als Fürstenthumb / Graffschafften / Städte und dergleichen / die*



die sollen und wollen wir ferner niemand verleihen / sondern zu Unterhaltung des Reichs behalten *24. artic.* 24. qui & in reliquis reperitur Capitulationibus ; hac additione facta in Capitulatione Ferdinandi IV. Ohne Vorwissen der Churfürsten niemand ferner leihen / noch einige Umvartung darauß geben. *art. 30.* Sed non pauci sunt Doctores Jur. Publ. qui conqueruntur hanc legem vix esse observatam, & ne unum quidem apertum feudum in eum usum fuisse impensum, *Dn. Rhetz. lib. 1. Inst. I. Publ. tit. 4. §. 61. in fin. Iter. de Feud. Imper. cap. 7. §. 8.* Et merito quidem, cum constet, Carolum V. Ducatum Mediolanensem imperio apertum, filio suo Philippo II; Ducatum Juliacensem & Montium cum Comitatu Ravensburgensi, Duci Clivie; Rudolphum II. Comitatum Königstein in Wetteravia Electori Moguntino; & anno 1611. eundem Christiano II. Electori Saxonie memoratum Ducatum Juliacensem & Clivensem concessisse; *ex Myler. ab Ehrenbach in addition. in Rumelin. ad A. B. dissert. 7. §. 11. lit. b.* Plura exempla videantur apud *Klock. Vol. 1. in Consil. Merckelbach. 7. n. 694. & seq.*

§. XI.

Non defuerunt tamen, nec hodie desunt, qui hujusmodi reinfusiones ab Imperatoribus, salvis Capitulationibus Imperii, fieri omnino posse affirmant, quos inter *Lynck. in Disput. de Potest. Imperat. alienandi bon. Imper. tit. 10.* Idque triplici ex ratione, (1.) quia Carolus V. non simpliciter se obstrinxisset, quod imperio aperta feuda in posterum aliis conferre non vellent, sed, quod hoc facere nollet sine pręgnantibus causis, sicque suam declarasse voluntatem Carolum in Comitibus anno 1521. Wormatice habitis. (2.) Quod in *art. 24.* non requiratur ad reinfusionem faciendam consensus Principum Electorum,



rum, cum adhuc explorandum, neque Carolus, neque eius successores se unquam adstrinxissent; sed Capitulationi Ferdinandi IV. art. 30. demum fuisse insertum, die sollen und wollen Wir ohne Vorwissen der Sieben Churfürsten ferner niemand leihen. Quin & (3.) etiam si Capitulatione Ferdinandi IV. sit sancitum, Imperatorem absque præscitu, ohne Vorwissen der Churfürsten / reinfеudare non posse; nondum tamen eorum requiri consensus, sed sufficere, si sciant, reliqua autem arbitrio relinqui & conscientia Imperatoris. *Lyack, dict. loc.* Unde Christianus II. Elector Saxoniae nimium quantum Imperatori hac in re indulgisse videtur, cum professus est; **Daß ein Römischer Kaiser und König jure creationis & electionis summam & plenissimam potestatem in temporalibus überkomme / also / daß er nicht allein diejenige Lehen und Regalien / so ihme und dem Reich heimgefallen, sondern auch den Anfall an Fürstenthumen, Graf- und Herrschafften in casum mortis possessoris ultimi absque heredibus masculis seinen eigenen oder des leztverstorbenen Bluts, Freunden / oder andern Fürsten und Herrn etc. in Lehen zu reichen ganz wohl befugt und berecht sey.** *In deduct. iur. quæ Domus Saxon. in Ducat. Juliac. & Mont. prærend.* Quin & nonnulli contendunt, dictas Capitulationes tantum esse intelligendas de bonis Imperii vacantibus, neutiquam vero de Feudis imperio apertis. *Bocer. de Regal. cap. 2. num. 61. Rosenthal. de Feud. cap. 5. conclus. 12. n. 4.*

§. XII.

**H**Æc si admittimus, nemo fortasse negaverit, dictarum Capitulationum vim, quantum ad hanc rem, fere concidere omnem. Verum cum (1.) ipsa prohibitio, quin & prohibitionis ratio sit generalis, bis so lange dassel,





dasselbige Reich wieder zum Wesen und Aufnehmen  
 kommet / vix tales distinctiones possunt admitti, cum e-  
 tiam (2.) sic præter intentionem Principum Electorum di-  
 cti articuli nil operarentur. *vid. Limn. ad Capit. Ferdin. IV.*  
*artic. 30. verb. Einige Expectanzen.* Et quamvis in nul-  
 lis ante Capitulationem Ferdinandi IV. quidquam sit sta-  
 tutum de præsciti Electorum, cum tamen necessario re-  
 quiri debuisse, omnino arbitror. Non solum enim (3.)  
 in omnibus arduis negotiis consensus Electorum est requi-  
 rendus; *dd. Capitul. passim* sed & (4.) prohibitione gene-  
 raliter posita, eorum est, qui legem dederunt & præscri-  
 pserunt Imperatori, hac in re consensu suo dispensare.  
 Atque sic (5.) ipsi Principes Electores dictas Capitulatio-  
 nes sunt interpretati, in Gravaminibus suis Ferdinando II.  
 anno 1630. exhibitis, ubi conquesti de Capitulari lege non  
 servata, addiderunt; **Sondern habe wider den Inhalt**  
**seiner Capitulation dem Reich durch Todes-Fälle / oder**  
**Verbrechen / verfallene oder durch die Käyserliche Or-**  
**madia eroberte Fürstenthumb / Graffschafften und Her-**  
**schafften / ohne Vorwissen der Churfürsten / versetzt /**  
**verpfändet / transferirt und alienirt.** *Conring. ad Lampad.*  
*p. 3. cap. 5. pag. 195.* Cum quibus convenit votum Ele-  
 ctoris Brandenburgici anno 1627. in Comitii Ratisbonen-  
 sibus, cum Ferdinandus II. Electoratum & terras Palati-  
 nas in Bavarum transtulisset; **Ihro Käyserliche Majestät**  
**vergabe kein Lehen / auch keine Städte / so sich erledigt /**  
**ohne Vorbewußt der Churfürsten und Ständen des**  
**Reichs; umb wie vielmehr / da eine Churfürstl. Wür-**  
**de und so vornehme Reichs- Lehen solten conferirt**  
**werden / wolte vennöthten seyn / daß es mit Vorbe-**  
**wußt und Consens zugienge.** *apud Lundorp. Tom. 2. act.*  
*public. lib. 6. tractat. 24. pag. 1461.* Et licet tantum de  
 præsci-



Præcitu loquantur dictæ Capitulationes, non vero de consensu, in dubium tamen videtur esse, per rō Borwissen der Churfürsten, non nudam scientiam, sed & consensum indicari. *Sued. de I. P. part. spec. sect. 1. cap. 23. § 10. Dn. Coccej. in I. P. P. cap. 14. §. 9.* Et ad quid ille præcitus? nisi ad hoc, ut arbitrentur, an è re imperii sit, & iusta prægnansve fati causa, ut aliis iterum in feudum concedatur; qua de re, si certiores redditus non contradixerint, jam tacite in id, quod Imperator intendit, consentire videntur. Sed si nolint, quin ad nihilum redigere queant huiusmodi reinféudationes, non videtur dubitandum. Admodum autem erronee statuunt *Bocer. & Rosenthal. dd. ll.* quasi dictæ Capitulationes tantum sint intelligendæ de bonis vacantibus, moti concisa nimis ver-  
sione *Sleidani in Comment. lib. 1. circa finem*; leges *Carolo V.* ab Electoribus præscriptas recensentis; ubi inter alias hanc refert: *Bona imperii, qua forte vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat.* Verum, de quibus hæc lex intelligenda sit bonis, aliunde melius constare non potest, quam ex Capitulatione, unde *Sleidanus* eam desumpsit.

§. XIII.

Postquam vidimus, quid licuerit, & hodiernum liceat Imperatoribus in bonis Imperii publicis, nunc indagandum est, quid juris competat Principibus & Statibus Imperii in Bonis principatum Publicis & Cameralibus, ratione subinféudationis. Et constat, Principes Germaniæ subordinatam habere potestatem, & territoria sua recognoscere ab Imperatore & Imperio Jure feudi; ipsamque cum iis dignitatem Regalem, & superioritatem territorialem; vi cuius omnem omnino Idictionem exercent in Subditos, qualem Imperator in Imperio, unde quilibet  
Impe-



Imperator in suo territorio esse perhibetur, seu tantum posse in suo territorio, quantum Imperator in imperio. *Knichen. de Saxon. non provoc. Jur. cap. 1. num. 64. & DD. comm.* Et in effectu juribus Regiis eodem modo, quo superiorem non regnoscentes, utuntur *Knich. d. l. n. 87. Ming. de Superiorit. Territor. §. 54.* Qui licet æque non possint alienare territoria sua, ac ipse Imperator. *per rat. supra allegat.* quin & major adsit prohibitio, cum nulla alienatio Feudi subsistat, nisi accedat consensus Domini directi; nullus dubito tamen, quin de bonis suis Cameralibus subfeuda possint concedere ipsi Principes; Idque tam ratione qualitatis illius Feudalis, qua tenent sua territoria & bona Cameralia, quam superioritatis territorialis. Expediti enim juris est, quod quilibet, feudum tenens, illud iterum in subfeudum regulariter concedere possit; non solum ex principiis Juris Longobardici. *2. F. 34. §. Similiter. 2. F. 9. & passim;* sed & Jur. Alemannici Feudalis. *cap. 30.* Ein Gut mag manniiges Herrn sin / als daß es ein Mann dem andern liht. & *cap. 3. §. 1.* Ist daß ein Frau oder ein Pfaffe / id est, Abbatissa vel Episcopus, das Riche Gut entsohet von dem Riche / das mögent si wol liehen *re.* id quod Saxo ita effert; Ist ein si / daß ein Pfaffe / adir ein Wip des Riches Gut bi Kore ( id est per electionem ) empfan / und den Herschild davon haben / das Gut mögen sie lieh *re.* apud *Schilter. in Comment. 1. A. F. cap. 3. confer. cap. 7. §. 3. & cap. 8. §. 3. Schilter. ad cap. 30. d. 1. A. F.* Etsi Feudum alienare, in scio Domino directo, sit prohibitum. Hujusmodi enim subinfeudationes nomine alienationis non veniunt, sed alienatio & subinfeudatio perpetuo sibi opponuntur. Sic in *2. F. 9.* disertè dicitur; *Est autem optima consuetudine interdicta feudi alienatio &c.* Si vera vel totum vel partem volebat per  
 feud-



feudum aliquem investire, hoc licebat ei sine fraude facere. Et 2. F. 26. §. *beneficium &c.* ubi prohibita feudi alienatione ponit Feudista; à vasallo in feudum, si nihil in fraudem legis fiat, recte dari potest. Et 2. F. 34. §. *fin.* Similiter nec Vasallus feudum sine voluntate Domini alienabit, in feudum tamen recte dabit. Et 2. F. 3. Sed etiam res, cujus alienatio prohibetur, per feudum tamen cuilibet dari potest. Utque adeo appareat, ut infeudationes, retento jure summi imperii & Domini directi, pro alienationibus non fuerunt habitæ; sic ex perpetuo stylo feudali nec subfeudationes pro talibus haberi; etiam post Constitutionem Lotharii in 2. F. 34. & Friderici in 2. F. 55. Cujus rei quanquam solidam se invenire posse rationem neget *Julius Clarus quest. 32. n. 1.* quare, stante generali prohibitione alienationis Feudi, permittitur tamen esse debet subinfeudatio; & penitus illam impugnet, hodieque fieri posse neget *Hottmann. ad. 2. F. 34.* solidissime tamen ejus sententiam refutavit *Bitseh. in Comment. l. F. ad 2. F. 26. §. beneficium &c.* Nec ratio mihi videtur esse in obscuro; cum enim feuda & præcipue imperii cum in finem fuerunt constituta, ut loco Domini Vasalli illa administrarent, & debita præstarent servitia, parum interest, num ipse Vasallus, num vero subvasallus hoc faciat, cum, quod quis per alium facit, ipse fecisse videatur, præcipue, cum sic Domini Superioris conditio non reddatur deterior. *Kohl. de Subfeud. cap. 1. n. 3.* Quin, quæ ratio *Struvii* est, vergit hæc Vasalli dispositio in Domini commodum, quippe cui Vasallus melius præstat servitia, cum & ipse Vasallus subvasallorum fideli sit stipatus ope; in *S. l. F. cap. 12. §. 9. n. 3.* Adeo quidem, ut si in investitura, vel qua alia conventionione cautum sit, ne feudum alienetur, ad subinfeudationem non sit trahendum, nec ea sit prohibita. *Vultej. de Feud. cap. 10. num. 36.*  
Godg-



Godofred. Anton. *Disputat. Feud. 9. §. 2. lit. b.* Iacobus. de Franch. *quæst. feud. 3. n. 10. & 11. & arg. 2. F. 55. Borcholt. de Feud. cap. 8. n. 49. Menoch. lib. 3. præsumt. 102. n. 23.* Multo magis aurem quis Principibus in bonis Cameralibus illud jus competere dixerit ob eminentem illam dignitatem & superioritatem territorialem, qua gaudent; ut adeo ridiculum sit, de eo dubitare; præcipue cum, concessio Ducatu seu Principatu cum omnibus regalibus, id ipsum jus concessum intelligatur; cum sub voce Regalium illud subinfeudandi jus comprehendatur. *Iuxta Ferrar. Montan. d. Feud. lib. 2. cap. 4. verb. In imperii tamen &c. vid. Bruck. cap. 9. de Doman. German. n. 56.*

§. XIV.

SED exsurgunt hic controversiæ admodum à Juris Feudalis & Publici Doctoribus agitatæ; nimirum num Sratus Imperii possint feuda Regalia, vel tota, vel eorum partem, vel tantum res Singulares in feudum concedere? Feuda autem Regalia sunt, feuda imperatoris auctoritate concessa cum dignitate Regali & superioritate territoriali. *Vultei. cap. 8. d. Feud. n. 10.* qualia sunt Ducatus, Marchionatus, Landgraviatus, Comitatus, quin & Baronatus. *Struv. S. I. F. cap. 3. §. 7. Ister. de Feud. Imper. cap. 3. §. 14. & 15.* Et nec totum, nec partem, ut vocant, quotam, nimirum dimidiam vel tertiam feudi Regalis in subfeudum concedi posse contendunt *Kobl. de Subfeud. cap. 2. nu. 9. Struv. S. I. F. cap. 12. §. 12. nu. 6. Schultz. in Synops. I. F. cap. 4. nu. 21. Lynck. in Anal. adl. Struv. Contra totum, non autem partem posse. Helfric. Hunn. tractat. feudal. cap. 12. pag. 332.* Alii vero affirmant, & tantum non rem expeditam ex consuetudine & observantia Germaniæ esse censent, tam ratione totius Feudi Regalis, quam ratione partis subinfeudationem locum habere, cujus sententiæ

E

locu-



locuples testis est Ericus Mauritijs, Camera Imperialis quondam Assessor, qui praestantissimorum Jctorum auctoritate hanc suam sententiam confirmat in *Decad.* 10. *pos.* *Feud.* 17. *Itter. de Feud. Imper. cap.* 32. §. 5. Cuiusque accedere videtur *Bruckner. cap.* 5. *de Dom. Germ. n.* 20. *in fin.* qui tamen sic sententiam suam moderatur, modo Imperii & Imperatoris consensus accedat; ex *Gail. lib.* 2. *O.* 153. *n.* 2. Quo sane in casu non est, cur dubitemus; hinc controversia debet statui de casu magis dubio. Aliiter *Baldus*, qui existimat, totum quidem posse, modo Ducatus Duci, Marchionatus Marchioni, Comitatus Comiti concedatur in *Aurb. & qui jurat &c. num.* 21. *C. de Bon. au Forit. Iud. possid.* quem sequitur *Rosenthal. de Feud. cap.* 9. *Conclus.* 44. *num.* 10.

## §. XV.

**I**n tanto DD. conflictu verissimam esse puto sententiam Struvii & sequacium, modo status controversiae recte ponatur. Nam id mihi non videtur in questionem venire, num territorium vel ejus pars possit in subfeudum dari; sed num totum Feudum Regale, quod nempe annexam habet dignitatem Regalem & sine qua feudum Regale dici nequit, sic possit à Principe in subfeudum dari, ut non transeat tantum territorium in alterum, sed etiam illa dignitas & superioritas territorialis. Id, quod nego; quoniam solius Regis est, seu Imperatoris, Regale feudum concedere. 2. *F.* 10. 1. *F.* 14. *Spec. Suevic. lib.* 1. *cap.* 37. *Ziegl. ad Aur. Prax. Catvol. Conclus.* 1. §. *Landsassii &c. n.* 2. *Rosenthal. de Feud. cap.* 12. *Conclus.* 1. *n.* 30. *Ming. de Superiorit. territ.* §. 19. Idque duplici ex ratione; cum, quod Ducum, Principum, Comitum, Baronumque dignitates & officia, prout vocantur in *Spec. Suevic.* sunt dignitates Imperii, quas nemo, nisi qui superior est, adeoque Impera-



perator solus, concedere potest; non vero Principes, cum sic excederet notorie concessa sibi potestatis limites & terminos. *Dn. Coccej, in Dissert. de Potest. Stat. Imper. circa dignit. cap. 3. §. 2. & 24.* tum, quod illa ipsa superioritas territorialis non possit concedi, nisi à solo Imperatore. *Ziegl. in d. tract. §. Landsaffi nu. 16. & sequ. Paurmeist. de Idict. Imper. cap. 8. Ming. de Superior. territ. th. 55. Knichen. de Iur. territor. cap. 3. nu. 123. Borell. Consil. 86. n. 14.* Id, quod eleganter exprimitur in *I. Alem. Provinc. cap. 157.* des Reichs Fürsten sullen kein Herrn haben / der ein Lay sey / von dem sie Lehn haben / wann den König; und seint sie deheims Layen Mann / ane des Königs; so mugen sie mit Rechte nicht Fürsten gesehn. Es ist kein Bahtlehn / davon ein Fürst muge gesehn / er erpfahe es dann mit sinr selbs Hand von dem König; x.

§. XVI.

**A** Deo quidem hoc verum est, ut hoc non tantum de constituenda liceat affirmare superioritate, sed & de constituta, ita ut Status imperii non possint superioritatem, inficio vel invito Imperatore, in alium, quantumvis constatum & superioritatis capacem, multo minus in inferiorem, transferre atque transfundere. *Lynck. de Superiorit. territor. pag. 43. Ming. de Superiorit. territ. cap. 2. thes. 20. Borell. d. Consil. 86. n. 14.* Ad hoc enim ut transferatur, in utroque requiritur habilitas, tam in transferente, quam in eo, in quem transfertur. Principes autem Imperii, etiam si tantum posse dicantur in suis territoriis, quantum Imperator in Imperio, in iis tamen hoc non procedit, quæ Imperatori sunt concessa seu competunt in signum supremæ eminentiæ, potestatis & majestatis, quale præ ceteris est, superioritatem & jura summa territorialia concedere. *Regner. Sixtin. lib. 1. de Regal. cap. 5. n. 121. Ming. de Superio-*



*rit. territ. §. 57. Klock. de Contribut. cap. 4. n. 303.* Inregularē enata, quod superioritas adhæreat ossibus Principum, nec possit avelli; & quod superioritas superioritatis non detur. *Schilt. in Comment. I. A. F. cap. 42. § 5.* Hinc jam fuit, quod, licet quis Vasallo concedat omne jus, quod in feudo habet, *in aller massen / wie es vom Reich ergangen /* vel cum juribus cohærentibus & omnibus accessionibus, seu ut loquuntur, pertinentiis, nondum tamen translatum censeatur, nec possit, quod ei tanquam Principi competeat. *Ziegl. d. l. n. 21. Lynck. d. l. Fultej. lib. 1. de Feud. cap. 5. num. 7.*

§. XVII.

**E**T uti totum, ita æque & multominus partem feudi Regalis possunt sic, ut diximus, in feudum concedere; ob rationes non modo jam allegatas; sed & præcipue, quod dignitas illa Regalis, Ducibus aliisque competens, dividi non possit. Sic *2. F. 55. §. 1. verb. Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus, de cetero non dividatur.* Et in *Spec. Suevic. lib. 1. cap. 20. §. 1.* Man mag kein Fürsten Ambt mit Recht zweyen Mannen gleichen; Geschicht aber es / ihr jedweder mag mit Recht nicht ein Fürst davon geheissen oder gesehn. Also mag man weder Marggraffschafft / noch Pfalsgraffschafft theilen / und so die getheilet werden / haben sie ihren Nahmen verlohren. *Rumelin. ad A. B. part. 3. Dissert. 5. th. 2.* Quo de jure licet consuetudine Germaniæ eousque sit recessum, ut dividantur inter successores Principatus, adeo, ut non tantum territorii partem, sed & dignitatem, à majoribus adeptam, cum superioritate territoriali consequantur, de qua testantur innumeri DD. *apud Cothmann. Vol. 5. Consil. 1. nu. 63. & sequ.* allegati, & ipse quoque Imperii usus, hujusmodi tamen consuetudinem, constitutioni Impe-



Imperii derogantem, non esse ultra successione terminos extendendam putat. *Kohl. de Subfeud. cap. 2. §. 9.*

§. XVIII.

**T**erritorium autem totum, vel pars territorii, quin & regaliu exercitium, retenta superioritate territoriali & dignitate regali, quin possit dari in subfeudum, nullus dubito. Non enim (1.) territorium constituit feudum regale, sed annexa præcipue illa dignitas Regalis, & superioritas, qua deficiente, illud neutiquam est considerandum, tanquam feudum regale, sed ut aliud quodvis feudum & territorium minus proprie sic dictum, quod vel totum vel pro parte in feudum dari posse constat *ex §. 13. sup.* Quin (2.) non tam ipsum territorium, quippe cuius quasi proprietates retinetur, Dominio directo reservato (respectu scil. subvasalli) in alterum transfertur, quam utilitates & fructus inde redundantes, qui aliis recte possunt concedi. Et id est, quod sibi volunt unanimi fere consensu Jcti, dum contendunt, Regalis Feudi dignitatem, Ducatumque ipsum non posse; At fructus, commoditates, ipsam administrationem, Iudictionis exercitium & Dominium utile posse dividi, vel in subfeudum concedi; ut ex Baldo, Alvarotto, Præposito, Ravennate, Matthæo de Afflictis, Camerario, Ardizzone, Schradero, Rothenthalio & infinitis aliis ostendit *Cothmann. d. Consil. 1. nu. 37.* Præcipue (3.) hoc illis denegari nequit ob eminentia illa superioritatis territorialis jura, quæ faciunt, ut liberius longe possint de suis feudis disponere, ac reliqui Vasalli, quibus cum sit concessum, totum vel partem feudi in subfeudum concedere, maxime foret à ratione alienum, eorum hac in re disponendi facultatem nimis coartare. Unde merito *illustr. Dn. de Rhetz. Minus dubii*, inquit, *est de datione in subfeudum, adeo, ut si Status Imperii*



perii velint integrum suum territorium, salvo tamen jure imperii, alii possint in subfeudum concedere, lib. 2. Instit. I. P. tit. 29. §. 2. Et hoc (4.) satis clarum redditur ex locis supra §. 13. ex I. A. F. allegatis, ubi dicitur, quod si Abbatissa vel Episcopus (nam sic intelligenda esse illa verba, vel ipse contextus & perpetuus usus loquendi in J. A. F. satis declarant) des Reichs Gut / immediate scil. ab imperio, empfaßen / und den Hertschild davon haben (quos feudis Regalibus investiri norum est) illud iterum in subfeudum concedere possint, quantum scil. ad ipsas terras, exclusa seu reservata superioritate territoriali; & quidem indistincte, das Gut mögent sie hien x. nimirum totum vel ejus partem; cui juri nusquam aliqua constitutione imperii derogatum esse opinor.

§. XIX.

ET ii quidem, qui sic investiantur, ratione bonorum sunt mediati & vere Landsässü Dn. Coccej. in I. P. P. cap. 31. §. 7. Ziegl. ad A. P. Calvol. Conclus. 1. §. Landsässü n. 222. Nec proprie Duces, Principes vel Comites possunt dici, per rationem §. 15. allegatam, Reichs Fürsten / Reichs Graffen; sed tantum Ducatus aut Comitatus possessores; Inhaber des Fürstenthumbs oder Graffschafft aut simpliciter, Landes Fürsten / Graffen / Ziegl. de Jurib. Majest. cap. 28. §. 27. Coppen Observ. feud. 3. n. 20. & 21. quam differentiam etiam agnoscit Jus Saxonicum; Land Reich lib. 3. art. 58. Inter Landes Fürsten und Reichs Fürsten; quoties scil. illustris Principis vel Comitis dignitas ab Imperatore est concessa; Coccej. d. l. qua tamen concessa, neuiquam juri superioritatis territorialis derogari, verum illud integrum servari constat ex R. I. d. anno 1548. §. 66. Wiewohl auch x. So haben wir doch dagegen erwegen / daß solche Graffen und Herrn zu mehr



mehrertheil unter ihren besondern Landes Fürsten  
 gefessen/ vermahls von allen ihren Gütern denselbigen  
 gedienet / sich auch zum theil auff der Fürsten Eigen-  
 thumb und ihre Pfandschafften Graffen oder Freyen  
 lassen zc. Derowegen / wann sie allein des tituls und  
 Namenshalben in die Anschläge des Reichs gezogen  
 werden solten / das würde den Fürsten obgemelbt al-  
 terhand Beschwerung bringen / und also mit der Zeit  
 ihnen noch weiter Abbruch und Schmäherung an  
 Ihrer Lands Fürstlichen Obrigkeit gebären / in An-  
 sehung / daß solche neue Graffen und Herrn nicht im-  
 mediate Glieder und Stände des Heiligen Reichs ge-  
 wesen / oder darinnen begütert / sondern solcher Landes  
 Fürsten Unterthanen und Land Leute wären. Quam-  
 vis hic maxime sit distinguendum inter jus territoriale sim-  
 pliciter sic dictum, & ipsam superioritatem territorialem,  
 seu sublimem jus territorii; adeo, ut illud quidem penes Prin-  
 cipes Comitesque mediatos esse possit, ex concessione vel  
 infeudatione. Neque enim jus territoriale præcisè ad Sta-  
 tum immediatum est restrictum. *Knichen, in Velis, Apolog.*  
*n. 13.* Sed diversa sunt hæc & separata jura, ita, ut territo-  
 rialia etiam talis, quam immediatis competere ex conces-  
 sione possint. *Besold, Thesaur. Practic. voce Fürst.* Et  
 tales Principes quondam reperiebantur, & hodiernum ex  
 linea supersunt in Silesia, in tres divisi Familias, Lignicen-  
 sem, Teschnensem & Monsterbergensem *Paummeist. de*  
*Idi. Imper. lib. 2. cap. 9. §. 9.* qui territoria sua recogno-  
 seunt, ut subfeuda, à Regno Bohemiae, id, quod feudum  
 Impernicse constat. Similiter quondam Episcopi Naum-  
 bürgensis, Misenensis, & Merseburgensis, quos Elector  
 Saxonie contendeat esse tantum Status Provinciales.  
*apud Horsted, de Causs. Bell. German. lib. 5. Strauch, Exercit.*



*Exoteric.* 11. §. 12, quos jure territorii gavifos esse opinantur, nimirum exercitio jurium territorialium. *dd. Auctor.* neutiquam vero illo sublimi jure territorii, seu superioritate territoriali. Et sic capienda esse existimo exempla *ab Iter.* allegata, & multa, quæ habentur *apud Knichen de Saxon. non provoc. lur. cap. 6. §. 4. & Bruckner. cap. 5. de Doman. German. num. 22. Reinking, de R. S. & E. lib. 1. D. 4. cap. 16. num. 55. Cluven. Syllog. rer. quotid. Conclus. 26. lit. H.* Quibus observatis, puto conciliari una posse Struvium & Mauritium, & qui cum eo sentiunt, nec dissensum hic esse inter jus Feudale & Praxin Imperii.

§. XX.

**N**ec obstant ea, quæ habentur *in 2. F. 55. &* quæ allegata fuerunt §. 16. supra. Unde varii DD moti in contrariam sententiam abierunt. Loquuntur enim dicti textus, de totali divisione & quidem hereditaria, quæ per successionem fit; quibus fuit revocatum jus antiquum; vi cujus nulla divisio, nec successio, in Principatibus & Comitatibus inter fratres admittebatur. *1. F. 1. §. 1.* A quo tamen postea erat recessum, per text. *in 1. F. 13. in fin.* Item *in Feudo Comitatus, vel aliarum dignitatum non est successio, secundum rationabilem usum; Sed hodie hoc est usurpatum.* Huic obviam ire voluit Imperator Fridericus, non solum, ne, nimia divisione inter cohæredes facta, aliquando ad nihilum redigerentur Principatus & Comitatus; sed & ne imperii Status augerentur, Imperii Matricula variaretur, & pensationes & exactiones collectarum redderentur incertæ. *Roland à Valle. Vol. 1. Consil. 80. n. 6. Tiraquell. de Jur. Primogenit. quest. 4. n. 23. Tabbor. Relat. Argentorat. 94. pag. 205. num. 12.* Quæ Constitutio tamen vix in usum fuit redacta, ut vidimus *supra* §. 15. Multo minus autem illa ad subinfeudationes est trahenda;



da; Cum, licet territorium alicujus Ducatus vel pars territorii alicui concedatur, propterea Ducatus talis esse non desinat, nec dividatur; cum anima & substantia Ducatus vel Comitatus, aut alterius Feudi Regalis non consistat in Idictione tantum, redditibus, fructibus & Dominio utili, quæ alteri in Feudum conceduntur, sed unice in illa Dignitate Regali & Superioritate territoriali, qua retenta, indivisum manere Ducatum, nullus dubito, cum *Bechmann. Exercit. Exoter. ad A. B. 4. ad Tit. 7. num. 56.* Princeps enim, cum participem facit subvasallum Idictionis & aliorum jurium & bonorum, id non facit per quandam potestatis suæ abdicationem seu exæquationem, sed per concessionem & modum beneficii, constituendo Idictionem subordinatam, reservata sibi in omnibus, quæ concessit, recognitione. Et quod non sit trahenda ad subinfeudationem, perspicuum satis est ex locis §. 13. allegat. Ubi, stante nimirum illa Friderici prohibitione, nihilominus totius vel partis Feudi subinfeudatio permittitur. Quin & perpetua Imperii consuetudo, quæ optima legum est interpres, per *l. 37. de Leg.* hanc Constitutionem consueque non esse extendendam, satis declarat.

§. XXI.

**H**Oc modo cum vidimus, integras terras posse concedi in subfeudum, apud omnes extra controversiam est, posse res singulares Camerales sive bona particularia in subfeudum dari *Schrader. de Feud. p. 4. cap. 1. n. 52. Menoch. Consil. 148. num. 21. & segq. Kohl. cap. 1. de Subfeud. §. 6.* modo hujusmodi bona qualitate Domianiali seu Mensali non sint imbuta, quo casu ea regulariter non posse dari, videbimus *cap. sequ.*

F

§. XXII.



Quæ vero hucusque de subinfeudatione honorum Cameralium diximus, eam esse regulariter licitam, illud licet intelligendum, modo ex illa non oriatur dissipatio bonorum & terrarum Principibus concessarum, *Dn. Coccej. in Hypomnemat. l. F. tit. 4. §. 3.* Dissipationem autem voco, quæ fit per nimias concessiones sic, ut dignitas illa Regalis sustineri non possit, & honor imperii deminuat. Quia (1.) licet per concessionem subfeudi feudum Regale non dividatur, cum illud & ejus partes remaneant, dignitate & superioritate retenta, tamen cum Dominium utile, adeoque omnia emolumenta transferantur in Vassallum, si detrimentum exinde nimium redundaret, nimirum tale, ut Dux vel Comes dignitatem suam sustinere non posset, aut in detrimentum imperii vergeret, illam nullam esse, & revocari posse, existimo, *arg. 2. F. 55.* (2.) Quoniam feuda illa regalia concessa sunt intuitu illius dignitatis, quam sustinent; quibus nimium dissipatis, necesse est, ut ipsæ quoque dignitates intercidant, sine quibus illæ sustentari non possunt. Quin & (3.) cum Princeps sit ad conservandum datus potius, quam ad destruendum, *per ea, quæ supra diximus;* non potest destruere & dissipare, quæ ipsi sunt concessa; sive autem illud fiat per totalem alienationem, sive tandem ad id perveniatur per subinfeudationes creberrime factas, intererit parum. *Lyncker. Respons. 2. v. 27. & seqq.* Dissipatio autem magis fieri videtur, si res particulares, eaque nimis frequenter concedantur in subfeudum, quam si totius alicujus Principatus aut Comitatus terræ, vel ex iis una vel altera præfectura. Quid enim, si quis plures habeat Principatus, vel in iis plurimas præfecturas? quo restringenda sunt ea, quæ modo diximus. Eo enim in casu non tam dissipatio dici potest;



test; sic enim vires magis manent unitæ, & servitia melius à subvassallis possunt præstari, quam si discindantur veluti concessionibus minutim factis; unde non potest non servitiorum exactio & præstatio reddi difficilior.

§. XXIII.

(2.) **E**Xcipiuntur Electoratus, quorum terræ in subfeudum concedi non possunt, propter expressum text. *A. B. Tit. 24.* in quo statutum; *Decernimus igitur, & hoc perpetuis temporibus valituro Imperiali decernimus Edicto, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus insignes & Magnifici Principatus, videlicet Regnum Bohemiae, Comitatus Palatinus Rheni, Ducatus Saxonia, & Marchionatus Brandenburgensis, terre, districtus, homagis, Vassallagia, & alia quævis ad ipsa spectantia, scindi, dividi, seu quævis conditione dimembrari non debeant, sed in sua perfecta integritate permaneant. Primogenitus filius succedat in eis, sibi que soli jus ac Dominium competat &c.* Quæ Constitutione præcipuum quid in Electoratus est constitutum, id, quod tamen de iis tantum terris est intelligendum, quibus Electoratus coheret, ne utiquam vero de aliis, quas Principes Electores possident extra Electoratum, quæ proprio jure Ducatus vel Comitatus gaudent, & vi quorum, etiam in ipsis Comitatus, propriis gaudent votis atque sessione. Quin & porro hoc tantum locum sibi vindicat iniis, quæ nunquam in feudum fuerunt concessa, non vero, quæ ante concessum Electoratum infeudari sunt solita; Illæ enim res, quin iterum possint concedi, non est, cur dubitemus.

§. XXIV.

**E**T hæc quidem subinfeudationes procedunt, etiam si Imperatoris vel superioris consensus non fuerit adhibitus. *Ringler. de Doman. Germ. lib. 2. §. 10.* Quia Domi-



ni nil interest, nec ejus jus deterius redditur; cum qui ante fuit Vasallus, talis maneat, nec servitia amittantur. *Godofred. Anton. Disput. Feudal. 3. §. 3. lit. b.* quamvis tutius sit, & majoris cautelæ, cum adhibere. Vel agnatorum, cum etiam, insciis ac invitis illis, actus ille subinfeudationis fieri possit, *arg. 2. F. 9. 2. F. 34. §. Similiter. Hartmann. Pistor. lib. 2. quæst. 44. Vultej. Vol. 3. Consil. Marb. 20. nu. 54. Schrader. de Feud. part. 8. cap. 2. nu. 10.* Agnati enim superstiti adhuc Vasallo nil juris habent præter successioneis spem, sive expectantiam; sic tamen, ut, delato ad Dominum vel ad agnatos Feudo, subfeudum quoque regulariter extinguatur *Struv. Syst. Jur. Feudal. cap. 12. aphor. 13. Kobl. de Subfeud. cap. 5. per tot. arg. l. 31. de Pignor.*

§. XXV.

**M**ultominus autem Statuum provincialium consensum regulariter requiri existimo, eoque nimium, ut, eo non explorato, subinfeudationes dicantur nullæ. Principes enim & Status Imperii (1.) illas exercent lege, quin & praxi totius Imperii. permittente. Ridiculum autem foret, ut, quod legibus permittentibus fit, ob deficientem Statuum provincialium consentum redderetur nullum. *arg. l. 5. C. de Leg. (2.)* Statibus Imperii illud competit ex superioritate territoriali, vi cujus omnium omnium jurium Regalium gaudent in solidum, adeoque maxime foret à ratione alienum, actum sub infeudationis nullum dicere, ob defectum illius consensus, sicque eos in confortium Superioritatis quodammodo admittere. Præcipue (3.) cum Statibus provincialibus nemo regulariter votum decisivum (quamvis in Principatibus Germaniæ, ubi Status provinciales reperiuntur; non ubique idem illis jus esse, & in nonnullis plenius, in aliis vero restrictius esse, existimet *Schilter. de Inst. Jur. Publ. lib. 1. tit. 26. §. 3.*) sed deli-



deliberativum tantum concesserit, adeoque à sola voluntate Principis, sive velint, sive nolint Status, hujusmodi subinfeudationes pendeant. Quamvis aliter sentiat *Brunnem. Consil. 1. n. 100. & seqq.* eo in casu, quo promissio jurata Statibus provincialibus facta à Principibus, daß sie ohne der Land/ Ständen Rath von ihren Landen und Leuten/ wie sie dieselbe an sich haben / nichts vergeben/ veräußern / versetzen oder verkauffen wollen &c. idque non absque evidenti ratione, cum sic Princeps teneatur ex conventionem cum Statibus inita, adeoque ipso juris naturalis vinculo, quo obligari eos, est notissimum. Verum, utut hæc ita se habeant, in eo tamen mihi non parum residere dubii videtur, num sub hujusmodi clausula generali sit censenda prohibita subinfeudatio. Etenim, cum (1.) supra vidimus, subinfeudationem pro alienatione non haberi per §. 13. & (2.) id evidenter appareat ex 2. F. 34. & 2. F. 55. *verb. sancimus &c.* ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, pignerare, vel quocunque modo distrahere seu alienare, seu pro anima judicare &c. Ubi non obitante illa generali prohibitionem feuda fuerunt permittenda. Unde sane fluere videtur, cum interpretatio illius clausule debeat ex illo jure fieri, in cujus argumento versamur, non esse illam nimis & ad subfeuda extendendam; præcipue (3.) cum ipsæ interpretationes sint stricti juris, *Grot. de l. B. & P. lib. 2. cap. 16. §. 1. & seqq.* adeoque contra communia feudorum placita & superioritatis jura, vi quorum licite subfeuda conceduntur, non admittenda. Multo magis autem illud obtinet, quod, subinfeudationem facta, illa non possit revocari, quod, de alienationis justitia plene constat. Deliberatio enim illa cum Statibus habita eum in finem adhibetur, ut cognoscatur an casus ad sit permittenda alienationis, & dein, ne Princeps in alienando



Circumveniat vel decipiatur. Perspicua autem si est justitia, iniqua plane foret revocatio subfeudationis sub hoc non adhibiti consensus Statuum provincialium prae-textu facta; prout de rerum Ecclesiasticarum alienatione, licet absque solennitatibus requiri solitis, facta statuunt, sicque in summis Imperii Tribunalibus receptum esse testantur. *Gylmann. apud Gædd. Vol. 4. Consil. Marburg. 50. num. 68. & seqq. Wesembec. Vol. 1. Consil. 59. n. 23. Cothmann. Vol. 2. Consil. 28. num. III. Heig. quest. 34. num. 10. part. 1.* Quænam vero sint & habeantur pro justis causis, illud videbitur *cap. seqq.* In eo autem vix iis assentiri possumus, qui, æque ut in alienatione rerum Ecclesiasticarum, ad pauculas referre conantur, cum non eadem in utrisque sit & par ratio.

§. XXVI.

**T**Andem ut (1.) sincere & sine fraude hujusmodi subfeuda constituantur; (2.) Ut is, in quem feudum transfertur, sit æque habilis ad servitia, & (3.) Ut iisdem pactis & conditionibus, quibus Vasallus feudum habet, constituatur sub feudum, illud tralatitium est, & de iis videatur *Siruv. S. I. F. cap. 12. aph. II. per tot.* Maxime autem in feudum & damnum hujusmodi subfeuda conceduntur, quoties non tantum Potentiori, qui vix in officio potest contineri, & à quo non nisi difficulter servitia exiguntur, *Siruv. d. l. sed & multo magis, si hosti dentur Imperii; id, quod omnino foret contra datam Imperio fidem, quam ob causam nec subinfeudationes, nec infeudationes licitas fore statuo.* Et ob hanc rationem Galliarum Regi, hodiernum rerum potiunt, cum is anno 1668. Votum & Sessionem in Comitibus sibi dari peteret ratione terrarum in Belgio & alibi Hispanicæ ditionis acquisitarum, & eas eodem, quo Hispanus olim jure, feudi nimirum possidere perciperet, ob



ob metum vicinæ potentia & immoderatæ illius ambitio-  
 nis, qua imperii fascēs, nonnullis abhinc retro seculis Gal-  
 li non obscure affectarunt, id ipsi fuit denegatum; ut au-  
 ctor est *Fritsch. in Elect. 1. Publ. part. 1. cap. 12. § 3.* Et hæc  
 quidem de In & subinfudatione bonorum Principum pu-  
 blicorum seu Cameralium in genere dictorum. In quibus  
 si quid audacter nimis dictum, vel erratum quoque de-  
 prehenderit B. L. id sua humanitate condonaturum spero.

COROLLARIA.

I.  
*Salva religione & recte Protestantes Romanum Pontifi-  
 cem, Sanctissimum Patrem appellare possunt.*

II.  
*Arch. Episcopi & Episcopi, salva religione, in Eccle-  
 siis Protestantium esse possunt.*

III.  
*Excommunicatio Theodosii Imperatoris, ab Ambrosio  
 Episcopo Mediolanensi facta, si qua facta fuit, fuit illegiti-  
 ma; licet illustrissimum sit reverentia erga Ecclesiam exem-  
 plum Theodosius.*

IV.  
*I. Samuel. cap. VIII, verum habetur jus Regium; non  
 vero Tyrannis.*

V.  
*Male tamen Salmasius ex illo jure petit argumenta ad-  
 versus Miltonum.*

VI.  
*Proscriptio Statuum Imperii fieri nequit, nisi consenti-  
 entibus, in ipsis Comitibus, omnibus Statibus Imperii; Idq. vi-  
 des Jürsen: Rechts; quod nec hodie abolitum esse puto.*

VII.



VII.

*In Contractibus innominatis, qui accepit, obligatur, ut ipse quoque rem promissam det.*

VIII.

*Qui vero dedit, re adhuc integra, cum alter nec dedit quid, nec fecit, nec facere capit, recte pœnitere potest.*

IX.

*Matrimonium non tantum posse dissolvi ob adulterium & malitiosam desertionem, qua dua causa tantum communiter sunt recepta, sed & ob alias causas, qua eque graves, ac illa sunt, potest defendi.*

X.

*Pater in filii emancipati, hic in patris, uxor in mariti, maritus in uxoris testamento possunt esse testes.*

XI.

*Liberi fideicommissio gravati de Iure Civili Legitimam cum Trebellianica non deducunt.*

XII.

*Actionibus personalibus de Iure Canonico non praescribitur 30. annis, nisi bona fides adsit; siue debitor sit possessor alienae rei, siue de suo aliquid debeat, propter cap. fin. x. de praescript. quo Pontifex videtur omne dubium, quod remansit, ex cap. 5. X. eod. tollere voluisse.*

F I N I S.













Marburg, Diss., 1698-1707

X 237 3079

1698









F. 4. num. 27.  
22 3  
17063  
19

DISSERTATIO JURIDICA  
DE

IN- ET SUBINFEU-  
DATIONE DOMANIO-  
RUM PRINCIPUM GERMA-  
NIÆ LICITA VEL ILLICITA,

QUAM,

PRÆSIDE D. O. M.

INAUGURALIS SPECIMINIS  
NOMINE,

QUOD PRO LOCO VOCANT,

MAGNIFICI RECTORIS,

UT ET RELIQUORUM

ACADEMIÆ PRO CERUM

CELEBERRIMORUM ET EX-

CELLENTISSIMORUM

CENSURÆ SUBJICIT

CORNELIUS VANDEN VELDE,

J. U. D. & INST. IMPER. PROF.

RESPONDENTE

AD DIEM XXIII. DECEMBRIS ANNI MDCCVI.

IN AUDITORIO JCTORUM AD LANUM

JOHANNÉ HERMANNO Köhler/  
MARBURGENSEI HASSO.

Typis Hæred. JOH. JODOCI KRAUSNERI, Academ. Typogr.

